


IVS
REGNI POLONIAE
IN
DVCATVM
CVRLANDIAE

AC
SEMGALLIAE
CVM MATERIIS CONNEXIS
DEMONSTRAT

C. D. F. *dec. 28079.*



M DCC XXXII.

ORBI
SARMATICO
SACRVM



§. I.



Onstat inter omnes, gentem ju-
sto bello subjectam dominio il-
lo teneri, quod victor cervici
ejus imposuit. Bellum autem
non nisi ex læsione gentis unius
erga alteram facta nasci potest
justum. Merito vero etjam inter ejusmodi læsio-
nes refertur periculum ex crescenti vicini populi
potentia alteri genti imminens; quodque magis
augetur, si populo, quocum jam bellum flagrans
justum est, ab eodem vicino auxilia præstantur.
Ex hisce præmissis in jure Gentium fundatis, an-
nalianum edocti, affirmare possumus, veteres inco-
las hodiernæ Curlandiæ Sempalliæque Jura Gen-
tium fregisse, cujus evictio firmissima nobis in ipsa
tractatione suppeditabit fundamenta. Cruciferis
enim bello afficientibus Prussos tot tantaque vice

jus Gentium erga vicinos Masuros lædentes Cur-
landi ac Sempgalli terrorem incutiebant sane Han-
nibalicum, partim ob strenuum in armis exerci-
tium, partim ob innatum barbarorum odium
contra propagationem Christianæ fidei. Accedit,
quod illis fuerint cum Prussis eadem fere sacra,
maximum sane vinculum populorum si de reli-
gione comuni quæstio est! De certe hinc exspe-
ctando Cruciferis periculo triste jam dabant ex-
emplum Ensiferi in Livonia vix orti, cæsi sæpius
& ad ultimum usque redacti crescente nimirum
barbarie incolarum, qui Curlandicas habitabant
provincias. At unicum hoc & solum non erat,
quod Cruciferos ad arma contra illos juste voca-
verat, sed præter ea Curlandos Sempgallosque
opem tulisse Prussis constitutis, scilicet jam in bel-
to contra Cruciferos, testatur Arnoldus. Infere-
bat ergo legitimum bellum Hermannus de Saltza,
Ordinis Teutonici Magister, hostibus suis Cur-
landis & Sempgallis; postquam Ordinem Ensife-
rorum, auctore Volquino ejusdem proposito,
Ordini Mariano reddiderat tributarium.

§.II. Hoc nexu stabilito jura illa, quæ Ordo En-
siferorum habuerat, præcipue ea, quæ spectant jam-
jam de victos, transferebantur in Cruciferos. Con-
stat vero hosce gladio esse acquisitos, ceu barba-
ros, quibus neque imunitates, neque jura in com-
positis mortalium societatibus usitata ne cognita
qui-

quidem erant. Recte hinc Ordo Ensiferorum ante conjunctionem cum Cruciferis absoluta utebatur potestate ratione formæ regiminis; Dedit pacem quibus voluit sine consensu subditorum; Vide Compos. Pacis MCCXXX. cum Curonibus ratione annui tributi; bellaque gessit absque suffragiis eorum; magistratus & Leges suo ex arbitrio dixit, exercens summæ majestatis jura. En statum devictæ Livoniæ & ex parte jugo subactæ Curlandiæ Sempalliæque, in quo ad Cruciferos pervenere! Hæc omnia ipsa in acquisitione facta, neque intercedentibus pactis cum subditis stipulatis, mutata (excipe quædam privilegia, quæ spectant negotia privata, & quasdam alias immunitates, quibus passim jura singularia concedebantur) sole clarius meridano Ordini Ensiferorum attribuunt plenissimum jus formam regiminis, pro ratione temporis mutandi & corrigendi, sine ullo accedente consensu eorum, qui gloriam parendi habuerunt. Hæc sunt, quæ omnes mutationes ejusdem Ordinis legitimant, & quæ in omni facta regiminis mutatione omnem consensum in eam subditis ejus denegant. Vides hinc, Ensiferos optimo jure non solum sese, sed etiam ex consequenti devictos potuisse reddere Cruciferis tributarios. Hoc itaque facto uniebantur Curlandi & Sempalli cum Livonis, victi scilicet auxiliante Cruciferorum gladio; jure belli acquisiti trade-

bantur Ordini Ensiferorum, & quia tunc temporis nomen feudorum nondum frequenter in usu erat, Ensiferi cum suis subditis vocabantur tributarii Ordinis Teutonici, qui vero non secus ac ejusdem erant vasalli. Nam Hermannus de Saltza Marianus Magister, parendi necessitatem Ensiferis imponebat, cujus successores usque ad Plettenbergium Provisores Livoniæ dabant; & inter plurima exempla ad recognitionem domini directi Magister Provincialis Livoniæ Conradus Fittinghovius Generali in Prussia magistro MCCCIII. copiis debitum præstabat feudale; atque in Conventibus Prussicis ab ordine Teutonico de rebus Livonicis, subscribente deinde Ensiferorum magistro constitutum esse in Venatore legimus. Nexus hinc inter Cruciferos Ensiferosque revera fuit Feudalis. Ex eodem etiam competebat Ensiferis jus illud in Curlandos Semaillosque, quo in eos Cruciferi gaudebant, sub modo quo eis concessum. Victoria autem arma Ordinis Teutonici jugum imposuerant omnibus Curlandis & Semailis; quare Ensiferi jure victoris in eos fruebantur. Hoc omni victori tribuit facultatem devictos pro lubitu occidendi: Si vero victor illam non exercet, ex devictis oritur gens serva, libertatem eo amittens, quo vitam sibi conservat. Quod si jam victor strictius jus suum persequitur, legi servitutis plenariæ devicti subsunt, mitioris genii
autem

autem victores certas illis præscribunt conditiones, sub quibus vitam condonant. Ex jure ergo victoris, competente Ensisferis, omnes Curlandi & Sengalli servi mancipiaque facti sunt, vitam eo sibi restituentes. Potestate hinc gaudebant in eos summa; nisi in quantum deinde illa sponte abdicaverant. Ex privilegiis ergo illis, quibus Curlandis Sengallisque quædam dabantur libertates, adjudicanda erit conditio harum Provinciarum, & ita etiam ex eodem fonte decidenda venit agitata jam quæstio: *Utrum unquam Curlandis Sengallisque jus fuerit eligendi Magistrum Ordinis Ensisferorum*, in qua ex parte suum habet fundamentum *imaginarium eorum jus hodie sibi constituendi Ducem.*

§. III. Ubi nunc exstat privilegium illud, in quo de consensu suffragioque Livonicæ gentis in electione novi Magistri unico saltem verbo mentio esset facta. Prodeant documenta, convincant nos! Huc usque credit quilibet historiæ edoctus, maximum fuisse discrimen inter ordinem ensiferorum & ejusdem mancipia; sancte credit neminem nisi Fratres Ensisferos Magistrum dixisse ante conjunctionem cum Ordine Teutonico factam: Hac vero inita, tot exempla exstant de anno MCCXXXVIII. usque ad annum MCCCCXCV, quæ evidentissime demonstrant, electionem Provincialis Livonici Magistri semper auctoritate Generalis

lis in Prussia esse celebratam, ad quam nunquam ullus de Curlandis, Livonis ac Semgallis voto admittebatur suo. Plettenbergius autem, Ordinem suum de tributo Prussico redimens, sese Fratresque quidem ab obedientia liberabat, Cruciferis antea præstanda, nexu soluto Feudali, & cum eo obligatione sublata: subditis vero ejus ne granum eo accrescere potuisset uterioris libertatis, jus feudale evincit. Quodsi ideo eo in tempore subditi Ordinis plurima accepissent jura, & inter illa etiam ius eligendi Magistrum, novis iisdem opus fuisse privilegiis denotat Sphus antecedens. Merito hinc illud, in quo Plettenbergius, aut ejus successores, jus eligendi Magistrum Livonicis concedunt provinciis, hæcenus latens, iterum evoco. Testantur autem non solum annales, sed etiam omnes in favorem Curlandorum in substrata materia editæ deduciones, nullum adesse ejusmodi privilegium, ad quod provocari potuit. Quare idem illis erit tamdiu denegandum, usque dum apparebit contrarium, Neque de ejus exercitio ullum adest exemplum per consuetudines, quibus alias jura condendi potestas est approbatum. Tot annales, tot omni fide dignissima historiarum silent monumenta de electione Magistri, quæ facta exstaret concurrente Livonorum suffragio; dum tamen omnia electionis ejus exempla nobis traderunt, & hæc quæ vix narrata huic existimato
ju-

juri e diametro sunt contraria. Unusquisque ergo videt, jus eligendi Magistrum Ordinis Ensiferorum nunquam fuisse penes Livonorum provincias.

§. IV. Breviter itaque hac ratione elisis argumentis, quibus jus eligendi Ducem Curlandorum Sempgallorumque, ex veteris ævi annalibus depromptis, niti posset, transeamus jam ad ea, quorum basis in pacto deditiois & omnibus circumstantiis collectis, ad rhombum saltem possibilibus, fundata apparet, cum quibus ethesias quasdam faciunt. En sequens historiarum epitome de hac accessione Livonicarum Provinciarum ad Orbem Polonicum! Ad ultimum jam redactus Ordo Ensiferorum, pressus Russorum viribus, destitutus omni humani auxilii, imminente periculo libertatem & omne quod mortalibus ulla æstimatione dignum videtur amittendi, humillimis efflagitabat precibus auxilium Inclytæ Poloniarum Reipublicæ. In ejusmodi angustiis succurrente D. Sigismundo Augusto pacta deditiois MDLXI Vilnæ ob periculum in mora sine suffragio solenni Regni Poloniæ cum Gotthardo de Kettler legitimo Livoniæ Magistro iniebantur, quæ deinde per constitutionem MDLXIX. Lublini factam robur accipiebant plenissimum. Verba enim ejusdem consti-

B

tutio-

tutionis huc spectantia sequentis sunt tenoris:
quod jam tempus adesset, quo subjectionem Illustris Domini Ducis & subditorum de communi sententia ac assensu omnium Ordinum Regni cum Ducatu Lithuaniae uniti acceptaremus. Nos etsi memoria tenebamus superioribus annis, quo tempore ab Ordinibus Livoniae crebris litteris & nunciis ad eam ipsam subjectionem acceptandam sollicitaremur, sortem illius provinciae atque calamitatem miseratos, hanc ipsam ex persona Nostra in fidem & protectionem Nostram suscepisse, tamen & illud meminimus etiam, cum praedicta subiectio praesentiam Senatus Polonici ad plenioram deliberationem requireret, rejecisse. Nos hujus ipsius rei tractationem in tempus aliud ad eam rem conficiendam commodius, quod cum se nobis abtulisset, faciendum esse existimavimus, flagitantibus, praesertim Illustris Domini Ducis Plenipotentibus, & unione Regni cum Magno Ducatu Lithuaniae absoluta & perfecta, & ejus Illustritatis subjectionem per supra dictos Plenipotentes Illustritatis ejus Nobis delatam de consensu omnium Ordinum & voluntate Regni cum Magno Ducatu Lithuaniae, ita ut ante dictum est uniti, in praesentibus Regni Comitibus acceptaremus, ipsumque Illustris Principem in fidem & clientelam Nostram Regnique Nostrum cum omni Ducatu & ditionibus Illustritatis suae publico Regni cum Magni Ducatus Lithuaniae uniti nomine recipimus, nimirum ut ab eo tempore in posterum Illustritas sua ejusque Haereditas cum Ducatu Curlandico & Semgallico Regno Nostrum cum Magno Ducatu Lithuaniae unito tanquam uni & individuo corpori perpetuis temporibus subjiciatur & incorporetur, ac in clientela & defensione Nostra & Regni cum Magno Ducatu Lithuaniae uniti permaneat. Magistro itaque hac ratione facto Vasallo, membroque Regni Poloniae, mutabatur in regimine Livonico veteris dignitatis insigne, in sceptrum cum Ducali titulo in manus Illustris Gotthardi traditum, concessumque descendantibus Ejusdem Illustritatis, si forent masculini sexus; sin vero stirps ejus masculorum deficeret, Curlandia & Sem-

& Serngallia instar Ruffiæ minōris Masoviæ, Samogitiæ, incorporandæ essent Orbi Polonico. Eidem Illustri Duci in feudum dabatur Polonicum totus ille Curlandiæ ac Serngalliæ tractus, incipiendo a Salso mari sursum sequendo fluvium Hylga, ascendendo ad antiquos limites, dispositos inter Samogitiam, Lithuaniam & Prussiam ab una parte, & Livoniam ab altera, versus districtum Polocensem ad Dunam fluvium, descendendo vero Duna usque in mare salsum: Reliquorum autem Districtuum ultra Dunam Ordini Livoniæ antea subjeutorum D. Rex Sigismundus Augustus Governatorem dixit Illustrum Gotthardum de Kettler.

§. V. Hæc sunt, quæ unicuique clarissime denotant, Ducatum Curlandiæ ac Serngalliæ aliam facta subjectione accepisse faciem, & præcipue statum Ducis Curlandiæ alienum esse ab eo, in quo versabatur Magister Ordinis Ensisiferorum, ideoque non nisi nomen, uti quidam existimarent esse transmutatum, cæteris omnibus in suo antiquo relictis; sed potius maximam adesse totius regiminis transformationem. Dux enim abdicabat juribus Magistri receptâ Dignitate ducali, quippe qui duas personas, scilicet Ducem & Magistrum Ordinis, simul sustinere ob jura utriusque personæ diversa, non potuit, Pallium
B 2 exuens,

exuens, ad privilegia illa sub Ordine Curlandis
Sembgallisque concessa in futurum conservanda
amplius non tenebatur, sicuti ejus subditi de da-
ta fide solvebantur. Hinc tam novo homagio
subditorum Duci, quam Ducis confirmatione
privilegiorum Subditis opus erat. Ante subje-
ctionem Magister consentiente Ordine privilegia
sæpe nova concesserat subditis, juraque eis dixe-
rat; factò vero deinde Duce, Principe feudatario
Regni Poloniæ, privilegia quæ dedit subditis au-
spice D. Poloniarum Rege semper confirmata ex-
stant, & Commissio Polonica anni MDCXIV. eviden-
tissime demonstrat, Inclytam Rempublicam, cor-
rectis Curlandorum Legibus ac consuetudinibus,
Ducatus Curlandiæ & Sembgalliæ statuta, for-
mamque dedisse regiminis. Illis ergo, quæ antea
determinaverant statum Magistri & subditorum,
in subjectione novæ dabantur limitationes; Hæ
autem sunt, ex quibus mutatus dijudicatur sta-
tus; Contempleris nunc velim hæc adducta, pa-
tebit tibi, in hisce Ducatibus tam respectu Ducis,
quam subditorum, alios esse positos limites, ac
antea fuerant, seu quod idem est, aliam adesse re-
giminis formulam, quam quæ tempore Ordinis
erat. Facta ergo subjectione status Ducis antea
Ordinis Magistri, & idem subditorum revera est
mutatus. Novus itaque aspectus Curlandici Du-
catus,

catus, nova jura in illo introduxit, quippe quæ formulam regiminis constituunt; quare etiam jus quod hodie prætendunt Curlandi Sengallive decidendum erit ex Formula Regiminis per Inclytam Poloniarum Rempublicam inducta. Ne autem quis existimet per hanc mutationem status Curlandicos a Dn. Polonorum Commissariis Ducatui datos jura locumque Ordinis Ensiferorum penitus jam sublatis, accepisse; meum esse judico, contrarium ejus evincere. Transiens nimirum in tutelam Regni Polonici Illustris Gottardus venit destitutus omnium jurium antea possessorum, quæ illi deinde revocabantur. Tradidit enim in manus Illustrissimi Nicolai Radzivi D. Regis & Regni Legati non solum auream crucem & sigillum, quibus antea usus fuerat, inferens hæc sui regnandi juris insignia ærario Lithuanico; sed etiam tabulas privilegiorum ab Imperatoribus Germaniæ & Pontificibus Ordini Ensiferorum datas; & dum feudatarium sese reddiderat Regni Polonici Principem transferebat etiam in dominum directum jura in subditos acquisitione obtenta, quorum vero plurima statim eidem restituebantur. Eo Inclyta Poloniarum Respublica, cui hæc omnia tradita sunt, in jura Ordinis Ensiferorum successit, quippe quæ id possidet, quod Ordinem constituerat. Quare

eædem etjam competunt omnes actus, quierant antea penes Ordinem, nisi in quantum deinde illis sponte abdicaverat. Testantur autem omnia privilegia Curlandiæ Sengalliæque tempore Ordinis exstructa, quod penes Ordinem fuerit jus illa condendi; testantur quoque privilegia, quæ post factam subjectionem præcipue ratione regiminis Curlandici ab Inclÿta Poloniæ Republica condita sunt, Eam jure non abdicasse Curlandos & Sengallos muniendi privilegiis: Penes itaque Orbem Polonicum jus est Curlandicis provinciis privilegia concedendi. Quodsi ergo Status Curlandici locum Ordinis Ensisiferorum obtinuissent, speciali privilegio Inclÿtæ Reipublicæ exstructi sint, necesse est; quod vero illis deficit, dum formula Regiminis Curlandici, per Dn. Polonorum Comissarios introducta, ex qua scilicet jura eorum dijudicanda, dederat saltem Illustri Duci Consiliarios, Judicio Assesores, Provinciisque Capitaneos, quorum munera in eadem recensentur, inter quæ vero functiones Ordinis Fratrum Ensisiferorum non inveniuntur. Hinc non status Curlandiæ Sengalliæque jura nominati Ordinis acceperunt, sed Orbis Polonicus sibi soli ea reservans, Membro ejus Illustri Curlandorum Duci quædam ex illis sub quodam modo restituebat.

§. VI. Quodsi nunc ipsam subjectionem
cura-

curatius perpendimus, invenimus eam per Magistrum consentiente Ordine, ideoque legitime esse celebratam. Nam penes eum Ordinemque omnis erat moderatio ac regiminis mutatio ex §ho II; nec status Curlandici in facta mutatione locum Ordinis acceperant per antecedentem; Hinc cum jam nova fieret regiminis mutatio, nullus nisi Magister cum Ordine habuerat eam ratihabendam. Pacta ergo Deditionis, quæ hunc in finem sunt inita non cum subditis, sed solum cum Magistro sublato ordine existant stabilita. Si enim in ipsam rem, de qua transactio facta, consentire non poterant Ordinis subditi, qua ratione potuerunt ratihabere modum rei transactæ, in cujus gratiam tamen pacta deditionis erigebantur. Hinc etjam partem illam Livoniæ Reipublicæ mox incorporatam, non consensus Livonorum, qui sub eodem moderamine cum Curlandis Semgallis fuerunt, sed sola cessio Illustris Curlandorum Ducis membrum fecit Polonicum. Subditis itaque Ordinis denegato jure cum Orbe Polonico transigendi minime attribui potest jus consentiendi in ea, quæ postea de illis statuebatur formam scilicet regiminis spectantia. Nam ad omnem transactionem requiritur consensus, ideoque si de re quadam principali transigitur;
Subdi-

Subditi vero Curlandici de regiminis forma ceu
re principali in pactis deditiois tractata transi-
gere non poterant; quare illis consensus dene-
gabatur, in ea, quæ formam regiminis spectant.
Quodsi ergo circa illa, quæ accessoria hujus rei
principalis sunt, aliquid constitutum est, jus
consentiendi ad ea pari ratione subditis esse de-
negandum quisque primis jurium rudimentis
edoctus facillime concedit. Erant autem Con-
stitutiones Regni Poloniæ, quæ in posteriori tem-
pore de Inclÿta Republica ratione formulæ Re-
giminis Curlandici futuri latæ sunt; ad hæc
ergo Curlandorum Sempallorumque consensus
non requiritur; & quoniam quilibet mihi con-
cedit, quod ille, qui in quandam rem consen-
tire nequit, eadem rei neque contradicere pos-
sit; per se patet Curlandos Sempallosque con-
tradicere non valuisse Constitutionibus illis,
quas suffragantes Polonorum nationes ratione
futuri regiminis post pacta deditiois hisce pro-
vinciis dixerunt. Firmæ ergo manent inter re-
liquas Constitutiones de annis MDLXXXIX,
MDCCXXVII, quæ spectant incorporationem Cur-
landiæ & Sempalliæ extincta stirpe masculo-
rum Kettleriana; omnesque in quibusdam Re-
gni Comitibus factæ Curlandorum, sed nunquam
auditæ contradictiones contra nominatas con-
stitutio-

stitutiones per se sunt invalidæ. Accedit, quod Orbis Polonicus in jura Ordinis successerit §. V. Ordo autem dederat subditis jura sine eorum suffragio; quare etiam Inclyta Respublica constitutiones dare potuit sine consensu Statuum Curlandicorum; Et quoniam hæ constitutiones minime derogant pactis deditiois, consensus etiam Illustris Ducis ad hæc, juribus non contradicentes Ducalibus, non erat necessarius; Hinc soli vindicatum est, jus eas condendi Orbi Gentium Polonicarum. Nec thesis hæc mea repugnat ullo modo Libertati Polonorum, aureoque verbo; Veto! Nam licet ab ipsa Inclyta Republica Curlandis & Semgallis in Art. XXIX. Formulæ Regiminis Curlandiæ per Commissarios D. Sigmundi Conventus publici sint concessi, qui ut de gravaminibus provinciæ deliberaretur, instituendi, adeoque illis libera de rebus provincialibus suffragia adjudicata; nil ominis tamen per hanc concessionem Curlandi Semgallique nullum jus acceperunt contradicendi Constitutionibus, quæ spectant formam eorum regiminis. Datum enim illis saltem est tuendi jura, quæ possident. Nunquam vero jus circa formam regiminis quicquam constituendi habuerunt, quod in Spho II. evictum; quare quod non in eorum fuit potestate, neque sibi conservare possunt. Hinc idem ad suffragia

C

eorum

eorum neque pertinuit. Nominatæ ergo Constitutiones absque eorum consensu stabilitæ minime ne semel Curlandicis repugnant privilegiis, multo minus ejusmodi Constitutiones ferendi modus Polonorum Libertati contradicit, quippe quæ tunc sese exferit, si quæstio est de juribus vera & indubitate possessis.

§. VII. Nec est, quod ullam habeant Status Curlandici rationem ob hunc procedendum agitando quærelas. Venerunt enim ad Inclytam Poloniæ Rempublicam ceu gentes, quibus nil nisi, quod jam eis erat concessum, debebatur per §phum II; si mitissima ad huc fronte conditionem earum adspicias. Quodsi vero miserimum eorum statum perpendimus, in quo tutelam efflagitabant Aquilæ Polonicæ; quilibet fatebitur, indulgentiam fuisse Gentium Polonicarum erga hæc suppressas fere provincias sane summam atque maximam. Non enim inficias ire possunt Curlandi & Sengalli momentum illud, in quo Orbis Polonicus in clientelam ac protectionem eos suscepit, idem esse momentum resuscitatæ eorum libertatis, felicitatisve. Nam aderat jam tempus, quod omnes Curlandi Sengallicque fecisset mancipia; nullum expectandum habuerant in tanta calamitate auxilium, licet necessarium; sibi met ipsis vero opem ferre, propria

pria illis vetabat debilitas. Neque dominus tutelaris Germanorum Imperator, neque unicus ex vicinis populis viribus erant æquales ad aver- tendum præsens periculum. In hisce ærumniis de cœlo quasi veniebat Orbis Polonicus; vin- cit hostes, reddit cum pace Curlandis ac Semail- lis perditam jam libertatem. Nonne hinc Incl- yta Respublica durissimas eis potuisset præscribere condiciones? Interitum evituri, omnes accepis- sent: licet maximi fuissent rigoris, durior tamen est servitus. Minus enim malum, tunc bonum evadit, si majus imminens avertitur; illud ab omni sana ratione prædito arripitur, ut possit gla- dium fugere in crine pendentem. At toti terra- rum Orbi notissima Almi Poloniorum Regni de- pressos patrocinandæ propensio non jugum, quod cervici Curlandicæ gentis imponere potuisset, sed immunitates dedit. Hinc non est, quod illæ pro- vinciaë justas instituunt quærelas, quin Incl- yta Respublica annumeraverit ejusmodi privilegiis hoc adhuc, in quo illis jus datur ad Constitutio- nes regiminis eorum causa latas, suo accedendi suffragio, dum ex mera gratia omnia illis, sicuti allegata docent, concedebantur. Unusquis- que itaque videt Incl- ytam Poloniarum Remp- blicam per allegatas constitutiones libertati Cur- landorum nullo modo contradixisse, quippe quæ

hanc illis restituit. Ipsa hæc libertatis restitutio
evidentissime denotat, quod Curlandi Sempalli-
que, aut eam jam amiserint, aut in eo fuerint ut
illam necessario perdant nisi opem præstitisset Or-
bis Polonicus; & quoniam gentis libertas ex pos-
sessione jurium colligitur, jura eorum, hac con-
ditione non existente, inter res perditas venissent.
Auxiliantibus hinc Polonorum nationibus vete-
ra eorum jura de novo quasi condebantur. Nulla
ergo jura in Inclytam Poloniæ Rempublicam
transferre poterant, nulla amplius possidentes; &
ea, quæ nunc habent, ex alma Reipublicæ gra-
tia veniunt. Falsum ideo est, quod eorum ho-
dierna libertas per subjectionem in arctiores li-
mites sit restricta. Nam hæc cum veteri li-
bertate nequaquam in relatione esse potest,
quæ scilicet jam amissa neque restringi neque
extendi poterat; nova autem orta proprios habet
limites in formula regiminis positos, qui amplio-
res adhuc sunt, uti tot de novo concessa testantur
privilegia, ac qui erant sub Ensisferis; Cum ve-
ro subjectio per pacta deditionis est stabilita, hæc
pacta etiam non limitant libertatem Curlandicæ
gentis, ideoque nil liberæ genti alias odiosum,
per ea eidem ortum est; & quoniam ea pacta,
quæ odiosum quid ratione unius paciscentium
habent, per interpretationem extensivam ICTis

tunc

tunc explicantur, si jura ejusdem aliquod capere possent detrimentum sine hac interpretatione: Pacta deditiois non sunt extensive ratione statuum Curlandicorum interpretanda uti quidam de Curlandis fecit. Taceo, quod hæc non cum statibus, sed solum cum Duce sint inita vid. Sphum antec., ideoque hæc omnia per se corruant; ne vero contrarientes existiment, in hoc ab illis allato argumento adesse vim quamdam herculeam; hæc adnotatio mihi videbatur necessaria. Cadunt hinc omnia illa consecutaria, quæ in eo fundamento sunt exstructa.

§. VIII. Hactenus jam adducta sole clarius meridiano denegant Statibus Curlandiæ atque Semgalliæ jus illud imaginarium suo suffragio Ducem constituendi. Nunquam enim penes hosce fuit potestas, Magistrum dicendi Ordinis Ensiferorum, quod neque per privilegia, neque per consuetudines probare possunt per Sphum III; & licet, occulta adhuc privilegia in antecedentibus evocata producerent, nil tamen juris existimati per ea evictum redderent. Status enim Ducis Curlandiæ non idem erat Status Magistri Livoniæ, neque in mutatione facta jus, quo gaudebat Ordo Ensiferorum eligendi Magistrum in hodiernos Curlandicarum status translatum est.

§. V. Pacta deinde deditio-

nis cum Illustri Duce solum exstant inita, & licet in illis de ejus subditis mentio fiat, ideoque quidam articuli hosce spectent status: attamen iidem non extensive sunt interpretandi ex VII. §pho; quare ex verbis, quibus D. Rex Sigm. Aug. promittit, quod velit Magistratum Curlandis concedere Germanicum; sensus non est extorquendus de pactis sane alienus, quod nimirum vocabulum magistratus omnes sint majores & minores, ideoque etiam ipsum Illustrem Ducem sub se comprehendat. Nam sane læditur interpretatio, dum verbis D. Regis affingitur sententia quam nunquam, si textum inspiceres, cum verbis connexerat. In illo enim de Magistratibus, penes quos administratio justitiæ est, possidentibus nimirum Curlandis jura Germanica, non de Ducali sceptro sermo est. Idem verbum Regium impletum exstat in Formula Regiminis Curlandici, MDCXIV. in Art. I. Cap. I. ubi magistratus Curlandici ut sint indigenæ, constituitur. En vix quadrans eorum argumentum! Super hæc meas adhuc tuentur partes tot jam allegatæ Constitutiones, de quibus jura, Curlandorum ratione regiminis, quæ dijudicanda sunt, dependent. Per easdem tot tantaque vice elisum exstat jus quod prætendunt eligendi Ducem. Contradicunt itaque omnia fundamenta, ex quibus saltem illud evinci

evinci potuisset. §. VI. Quilibet ergo perspectum habet, ex qua dexteritate nil ominis a quibusdam asseritur, Ius eligendi Ducem esse penes status hodiernos Curlandiæ ac Sengalliæ.

§. IX. Summa sequens fastigia rerum ad eâ pervenio, quæ Inclytam Poloniarum Republicam specialiter spectant. Hæc, reddito Duce Feudatario Principe, Ducatum Curlandiæ ac Sengalliæ Feudum fecit Polonicum uti docet §phus IV. Ut vero eo firmitus in decidendis juris quæstionibus huc pertinentibus nobis sit fundamentum, non abs re erit evictum reddere, quod Ius Feudale communiter receptum, præprimis hic sit adhibendum. Dum enim Ducatus ille tutelam recepit Polonicam, specialis gens esse desit circa ea nimirum, quæ eundem cum Orbe Polonorum connexerant. Feudalis autem nexus utrasque intercedit partes; Hinc ratione Feudi Ducatus ille jura gentis specialis exuerat; quare etjam decisiones circa hunc nexum, non ex Iure Gentium, sed Iure Feudali erunt desumendæ. Sana autem docet ratio, quod illi, qui obedientiam præstat secundum Leges sui superioris sit vivendum, non vero superiorem sese accommodandum habeat subjecti consuetudinibus. De-
dit

dit autem Illustris Dux Curlandiæ & Semgalliæ feudalem obsequentiam Orbi Polonico: merito ergo decisio circa ea, quæ hoc Feudum spectant, ex feudali Polonorum jure esset deponenda; minime ex Consuetudinibus Feudi Curlandicis, dum præter hæc Ipsa Curlandorum Illustritas membrum erat Orbis Polonici. Ne autem ullam contrarientes habeant occasionem, ea quæ deducuntur in dubium vocandi, ad Ius commune Feudale provoco, ex quo tam proprium Polonorum, quam illud Curlandorum compilatum est; quodque ideo utroque loco receptum.

§. X. Facilis ergo jam erit decisio incidentis cujusdam quæstionis ventilatæ jam cum Russorum Imperio in qua nimirum fundatum erat, jus illius in præterlapsis lustris occupandi & possidendi Curlandiam ac Semgalliam. *Exigebatur enim debitum quadragintorum milium Rubel, quodque quotannis solvendum Statibus Provinciarum injungebatur una cum dote illata Viduæ tunc temporis Illustris Friderici Guilhelmi Ducis Curlandiæ Semgalliæ post nuptias statim decedentis, ANNAE deinde RUSSORVM IMPERATRICI gloriosissimæ memoriæ. Debitum hocce erat advitalitium a defuncto Illustri Duce Marito constitutum, quod deinde sub nomine*

nomine vidualitii venit. Erat dos reciproca, seu donatio remuneratoria, quæ est donatio propter nuptias in compensationem dotis data. (Mores enim aliarum gentium ex antecedenti Spho hic quadrare non possunt, qui alias donationem & dotalitium distinguunt). Quodsi jam hocce advitalitium cum omni juris rigore contemplari intenderemus, nullitatem juris in eo facile invenire possemus. Si enim præmitteretur, Leges Feudales expresse sancire; Donare aut judicare pro anima, nullius curiæ consuetudine potuisse vasallum II. F. IX. §. XI; Hocce vero vitalitium donatio erat propter nuptias; prono sane alveo flueret, defunctum gloriosæ memoriæ Ducem Fridericum Wilhelmum nullum potuisse constituere advitalitium ex provinciis Curlandicis, in Feudo Polonico constitutis. Concedi posset, fuisse regale feudum, Illustremque Ducem nullam habuisse relationem ad subfeudatarium; nil ominis tamen firma maneret propositio Legis applicatæ, cum vasallus esset, qui in meliorationem Feudi, non vero in deteriorationem ejus; transferendo in præjudicium Inclytæ Reipublicæ extra terras Polonicas tot pecuniarum summas, perceptum usumfructum impendere tenetur. II F VIII. §. I. Stabiliunt hæc, consuetudines in Curlandico Du-

catu receptæ, usitatæque in ipso Feudali nexu inter Illustres Duces ceu Vasallos & Serenissimum Poloniæ Regnum Dominum directum. Concedebatur enim advitalitium speciali constitutione MDCIX. ob maxima erga Rempublicam merita, Illustri Duci Friderico plus nimirum facienti ac in orto bello debebat & quidem uti Constitutio loquitur, in donativum militare; quare apparet, non fuisse penes Illustritates Curlandicas advitalitium ex provinciis constituere, ideoque hoc esse personale privilegium non extendendum ad successores, quibus non simul concessum. Hisce tandem accedit, quod omnis alienatio in Feudis facta absque concurrente domini directi consensu non solum per se nulla sit, sed etiam poenam amissionis secum trahat; II. F. LII. LV.; II. F. xxxviii. si alienaverit partem, partem perdat. Quis vero dubitaret, donationem non esse speciem alienationis? Quod si vero non jus strictum, sed æquitatem Feudali consuetudine introductam sequimur, inveniemus quidem, quod Feudi successor ad solvendum dotalitium teneatur, sed hac cum conditione, dote nimirum revera in feudum illata, & quod præcipuum est, in usum & meliorationem feudi impensâ, in cujus scilicet compensationem hoc constituitur. Cum ejusmodi conditionibus
con-

consuetudines dotalitium in feudis concedunt, ubi autem probatio adesse debet de revera illata dote, & in feudi meliorationem impensa. Fluit ergo ex iisdem, contradicente vero jure stricto, quod gloriosæ memoriæ Illustris Ducis Friderici Guilhelmi advitalitium ex Provinciis suis Curlandicis constitutum, validum foret si dote illata Ducatus Curlandiæ ac Semgalliæ esset melioratus, de quo tamen ex summa probabilitate dubitandum; dum dote vix constituta. Eadem Illustritas celebratis nuptiis redux, in itinere decessit.

§. XI. Licet autem Inclyta Poloniarum Republica constituto, de quo nobis sermo est, advitalitio pondus dedisset alias deficiens II. F. LV, Imperium tamen Russicum, dotem illatam, (ponas sub conditione allegata in utilitatem Curlandicarum provinciarum impensam), & constitutum advitalitium, de Statibus Curlandiæ Semgalliæque non simul exigere poterat. Donatio enim fuit propter nuptias; hæc autem si exæquatur doti, remuneratoria est, dotis dissipatæ vicem sustinens, ideoque compensationem inter eandem donationem, & dotem illatam constituens. Eadem adducta, ex sana stabiliuntur ratione & jure mortalibus communi. Nam in securitatem dotis illatæ dotalitium constituitur;

Intercedit hinc maritum & uxorem conventio de securitate ejus dotis. Si hæc securitas obtinetur, ipsa cessat conventio; Tunc vero plane exstat obtenta, si uxor idem, imo sæpius plus ex advitalitio accipit, quam dos illata fuit; quare cessante conventione id etiam cessat, de quo erat conventum; cum jam de dote esset conventum, advitalitium dotis locum occupat, & dos per hocce cessat; hoc est, dos compensatur. Imperium ergo Russicum dotem & advitalitium simul de Statibus Curlandicis exigens, idem duabus vicibus postulabat. Corroborant hæc allegata ipsæ consuetudines Feudales, quæ quidem arbitrio viduæ relinquunt; velitne dotalitium apprehendere, an vero dotem repetere; utrumque autem non concedunt. Hic quidem Interpretes æquitatem amplectuntur, jus tamen strictum Feudale non attendunt. Statuit enim hocce II. F. VIII. §. II. quod pignus non fieri possit ex Feudo. Eò autem pignus constituitur in Feudum, si donatione propter nuptias facta, uxor dotem inferens tacitam accipit hypothecam in bonis mariti feudalibus; si uxor dotem repetit jus retentionis illi in possessione nimirum constitutæ attribuitur, quod vero ex jure pignoris oritur; si dotalitium exigat eodem nititur fundamento. Secundum ergo

ergo jus strictum Feudale, dote licet illata Cur-
landicæ provinciæ pignus ejusdem dotis mini-
me fuerunt, ideoque ex nullo titulo neque
dos repeti, neque dotalitium exigi potuit. Vi-
dualitium tandem idem aperte contradicit; Negat
enim post mortem viri ad mulierem aliquid per-
tinere. l. c. quanquam aliorum mores, statuta-
que vittum dare affirmant; utrum autem ho-
rum decisioni valorem addere velit Inclÿta Polo-
niarum Respublica alia est quæstio, meumque
non est judicare; Alias enim, si de jure loqui li-
cet, tot pecuniarum summæ, quæ jam secun-
dum rationem gloriosæ memoriæ Illustris Ducis
Ferdinandi Aulæ Berolinensi MDCCXXIII.
insinuatam sexcenties mille thalerorum exæqua-
bant; pertinerent ad Orbem Polonicum ceu
Dominum Ducatus Curlandiæ ac Semgalliæ
quippe cui, hæ provinciæ ex optimo jure sunt in-
corporandæ.

§. XII. *Jus ergo illud, quod de incorpo-
ratione Ducatus Curlandiæ ac Semgalliæ, ex-
stinctæ masculorum stirpe Kettleriana specialis-
sime loquitur, evincendum mihi restat. Te-
stantur jam de eodem plurima hæc adducta. Po-
stulat hanc incorporationem inter reliquas Con-
stitutio de MDCCXXVII, ad quam exacte ob-
servandam in præterlapsis lustris Status Curlan-*

dici jure jurando sese obligaverunt. Exigebatur de illis hoc juramentum circa Reversales Nuncio- rum Curlandiæ ac Semgalliæ Mitaviæ congrega- torum, ut incorporatio post mortem Illustris Ducis esset inevitabilis. Hinc singulari in hoc casu indulgebatur Statibus Curlandicis ab In- clyta Poloniarum Republica consensus in ea, quæ spectant regimen, quem antea non ha- buerant ex Spho VI. ut eo fortius hos sibi adstringeret, ne ullæ superessent illis postea la- tebræ. Quoniam enim penes Orbem Poloni- cum ex successione in jura Ordinis Ensisero- rum jus erat de regimine Curlandico statuen- di, & immunitatibus Curlandos muniendi; Inclyta Respublica ex jure possidente in ob- venienti casu quandam Curlandis cedere po- tuit ratam; novumque hinc adest testimoni- um maximæ erga hæc Provincias Almæ suæ clementiæ. Non satis ergo mirandum est, quod ex ipsa hac gratia argumentum sumpse- rint contrariantes, quo obligationem sancte promissam tabescentem reddere annuntur. Dicunt enim, neque nuncios ex districtibus mandato fuisse exstructos, reversales subscri- bendi, neque liberum adfuisse consensum in reversales, quia Dn. Commissarii Regni Po- lonici eundem postulabant. Quodli autem hæc

hæc curatius examinamur, nihil eos dixisse, apparet. Nam Art. XXIX. Formula Reg. Curland. nuncios requirit ad conventus Mitobieneses cum potestate; hæc si caruerunt, sibi tribuant, quod contra Leges egerint; & licet de hisce reversalibus condendis, instructi apparere non potuerint, dum supra captum Districtuum Curlandicorum fuit, de eo, quod regiminis est, deliberandi; Reversalibus tamen hoc ne quicquam nocet. Condebantur enim de eo ad quod totus Ducatus Curlandiæ ac Sembergalliæ per se jam erat obligatus. Nam circa formam regiminis consentiendi nullo gaudebat jure §. VI. Hoc vero erat penes Inclytam Rempublicam §. V. quare ad id accipiendum quod de Polonorum Regno circa formam regiminis statuebatur, obstrictus erat §. II. Hinc etjam ejusdem nuncii, de eo ad quod quilibet Districtuum jam per se tenebatur non opus habuerunt in instructione, speciali ejusdem declaratione. Hi ergo totum Ducatum Curlandiæ & Sembergalliæ repræsentantes, et præsumpto ejusdem consensu instructi, etjam Ducatum ad Reversales sancte confirmatos, in quibus nil amplius continetur, quam quod sui principales jam debebant, reddiderunt vinculo maiori obligatum, et in Ejusdem
nomine

nomine ius iurandum præstiterunt. Exigentes hinc Dn. Commissarii hocce iuramentum de Deputatis Mitabiensibus ex iure obligationis eorum Districtuum illud postulabant. Cum vero id, quod ex obligatione alterius debita licet extorqueatur, ad id spectat quod de iure debetur; Dn. Commissarii tam reversales quam iusiurandum de iisdem nunciis de iure exigere potuerunt. Quoniam autem obligatione determinamur, ita ut aliter velle non liceat; liber quidem non erat consensus Nunciorum qui tamen non necessario liber requirebatur; dum absque eorum consensu ius illud salvum erat Orbi Polonico, ad quod consentiendum saltem invitabantur tam ex ratione temporum quam ex speciali Inclytæ Poloniarum Reipublicæ indulgentia erga hæcæ provincias; per quam illis species quædam maioris immunitatis celebratis hisce actibus alias superfluis concedebatur. At non unica constitutio anni MDCCXXVI sed omnes huic antecedentes in optimo vigore urgent incorporationem hujus Ducatus Curlandiæ & Semgalliæ; quippe quæ nunquam annihilatæ sunt, sicuti absque fundamento tratatium est. Infirmiter enim harum sublationem contrariantes probare annituntur tam ex Pactis Conventis *Serenissimorum Polonia Regum*, in qui-

quibus autem, si illa evolvis, omnia de eis allegata loca de confirmatione privilegiorum Ducatus, non vero de sublacione harum constitutionum loquuntur; quam ex declaratione Inclytæ Poloniarum Reipublicæ MDCXIX. in Comitibus facta; quod scilicet formula Regiminis Curlandici in Esse & vigore sit relinquenda; in qua autem, Formula MDCIV. de Dn. Commissariis Regni Poloniæ stabilita intelligitur, quæ, uti contextus docet confirmatur. Hanc ipsa Respublica dederat Curlandico Ducatui; quare sese etiam declarat quod secundum eandem jura ejusdem Ducatus sint in futurum æstimanda; quod vero hæc jura constitutionibus non derogent, evincit Sphus VI. Equidem negare non possum, quin Inclyta Poloniarum Respublica adductas jam constitutiones in quibusdam temporum articulis dispensaverit, præcipue regnante Dn. Vladislao IV. ut Regius Frater insignia capeffere posset Curlandica. Quilibet autem notum perspectumque habet, hoc esse penes Legislatorem, ideoque Inclytam Poloniarum Rempublicam in favorem D. Vladislai IV, constitutiones de incorporatione latas suo ex arbitrio executioni non demandare valuisse. Eo autem illas minime sustulit, dum sequentes anteriores de novo semper confirmant. Neque

tali in casu necessaria erat specialis Inclytæ Rei-
publicæ declaratio; se scilicet conservaturam
easdem constitutiones, quamvis exceptio
hoc vel illo tempore de iisdem fieret; quo-
niam post pauca annorum spatia facto quo-
dam exemplo, novæ antecessas renovabant,
quodque semper in omnibus, & inter illa, ad-
ducta exemplo observatum exstat. Gloriantibus
hinc Curlandis uno alterove ejusmodi
exemplo in substracta materia obveniente de
sublatis jam constitutionibus, quibus incorporatio
exigitur, hisce paucis erit responsum. Falsè ergo etiam ex
ejusmodi exemplis jus sibi vindicant Status Curlandici
Ducem sibi eligendi. Ex mera enim indulgentia Orbis
Polonici, penes quem illud erat ex Spho III; hocce illis
passim dabatur. Speciale hinc erat unius temporis
privilegium, non ad sequentia extendendum. Nunquam
enim illud de hisce est acquisitum, neque per unicam
Constitutionem, neque per consuetudinem sæpius
iteratam, consensuque Orbis Polonici tacito confirmatam,
dum de utroque modo tot contradicentia documenta
unicuique annalium edoctò non erunt incognita. Probandum
vero ex utroque modo hocce illis erit per Sphum III;
Manet ergo jus in speciali saltem casu indul-
tum

tum, & ex eo hoc solum sequitur quod tunc
jus eligendi Ducem sit penes Status Curlandicos,
si Orbis Polonorum eisdem ex mera almaque
indulgentia ac concessione specialissima illud
tribuit. Idem itaque statuendum erit in hodi-
erno electionis negotio, quod alias invalide
celebratur, nisi Inclyta Polonorum Respubli-
ca eidem plenissimâ, addat deficiens robor rati-
habitione. Quodsi vero hoc denegat præter jam
allegatas constitutiones postulant incorporatio-
nem ipsa Pacta Deditiois, & jura quæ sunt
per eadem in Orbem Polonicum translata. Con-
stat enim nobis Regnum Poloniæ jura accepisse
Ordinis Ensiferorum §. V. Penes eum vero
erat jus formam regiminis suo ex arbitrio mutan-
di §. II. quare etiam Inclytæ Reipublicæ com-
petit, eo utendi: Hinc necesse non est ut ma-
neat semper Ducatus. In hoc consentit ipsa Pa-
ctorum Deditiois natura. Edocti enim sumus
Curlandiam Serngalliamque Feudum fuisse ma-
sculinum II. F. L. revertendum ad Dominum Di-
rectum, qui est Orbis Polonicus cessante condi-
tione sub qua concessum I. F. XIII, ideoque per
consolidationem tollendum. Facta vero conso-
lidatione, nexus cessat inter Dominum Dire-
ctum ac utilem, quæ hoc in casu incorporatio-
nis nomen habet. En Ius firmissimum Inclytæ
Polo-

Poloniarum Reipublicæ, incorporandi Curlandiam atque Semgalliam! Neque si illud executioni demandaretur ac Ducatus ille membrum fieret Polonicum, ullum saltem oriri posset detrimentum libertati privilegiisque Curlandicæ gentis. Felicitas enim immediate adorandi Aquilam Polonorum nunquam fuit connexa periculo quodam qualiscunque generis. Sint aliæ mutationes in politicis periculosæ, illæ tamen, quibus jus Civitatis Polonicæ obtinetur earum numero esse exemptas totum testatur terrarum theatrum, cui satis cognitum est, quid Civis sit Sarmaticus. FE-

LIX itaque QVI SVB VMBRIS AQUILAE POLONICAE OMNES TRANSIT VITAE SVAE

ARTICVLOS.

